



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-759113-p0001-2

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-759113-p0002-8

DFG

451.

Q. D. B. V.

60.

15

1695 9

DE
**OFFICIO
SUMMORUM IMPERANTIIUM
CIRCA LIBROS
RELIGIONEM SPECTANTES,**

Indultu Ampliss. Facult. Philosoph.

Ad Diem XI. Decembr. Anni M. DC. XCV.

In Illustri Leucorea

publicè disputabit

PRÆSES

MANDREAS KUNADUS,

RESPONDENTE

CAROLO HENRICO GERKENIO,

Jev. Fris.

Philos. & S. S. Theol. Studios.

VITÆ BERGÆ,

Literis SCHRÖDTERIANIS, Acad. Typ.



VIRIS

Magnifico, Nobilissimo, Excellentissimoq;

DNO

DN. CONRADO LÜBBEN,

*Icto longè celeberrimo,
SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINI
in rebus Ecclesiasticis & Politicis Consiliario
supremoq; rationum Præfecto :
nec non*

Plurimum Reverendo atq; Amplissimo

DNO

DN. HENRICO TOELEN,

*Ecclesiæ Jeveranæ Pastorì vigi-
lantissimo,*

*Dominis, Patronis & Mœcenatibus suis
submissâ observantiâ colendis,*

primum hoc diligentia Academica specimen

piè consecrat

TANTORUM NOMINUM

humillimus cliens

Carolus Henricus Gerkenius.



Deu*s* u*n*us! Rodière sub auspiciis horum & superiorum temporum variæ molis, variiq; nominis libri, limpida[m] religionis puritatem infestō partim pede nimium heu! turbantes, partim strenue & fortiter vindicantes. Sæpe Formula Concordiæ tentata; sæpe indignis traducta verbis: Nec temperare humanosibi potuit animus, q[uod] in humano more miseras infelicitas vulgi mentes in perniciosissimas rapere sententias, clarissima Scriptura dicta contorquendo, versiones optimas in vernacula linguâ scandalosè improbando, viamq[ue] Scepticismo, Enthusiasmo, Quackerismo &c. muniendo, gloriosum duxerit. Inde tot librorum prohibitiones, tot confiscationum formulæ, tot supplicia. Quæ singula utrum ex merito semper obtigerint, quibus intentata fuerunt, meâ eqvidem nihil refert; hoc faltem dixisse habeo occasionem ita suppeditatam mihi esse, liberè in liberâ Academiâ cogitandi de Officio Summorum Imperantium, circa libros religionem spectantes, argumento scilicet, quantum ego memini, & publicis Disputationibus nondum agitato, & in seculi hodierni luxu, scripturientiumq[ue] animorum freqventiâ valdè necessario. *Quod ut fiat feliciter, DEUM ardentissimis adoro, suspiriis!*

§. 1. Cùm Religio Rempublicam instar vinculi constringat, animosq[ue] hominum obedientes reddat, & à tumultu ac seditionibus arceat, ne quaquam errare videntur, qui curam Religionis & defensionem Ecclesiæ, non minus ac justitiæ administrationem Summis Imperantib[us] assignant. Enimvero notanda h[ic] auro digna cedroq[ue]; B. Ziegleri verba, quæ haber *L. i. de Jur. Maj. c. 13. §. 14.* ubi ait: *Potestatem Ecclesiasticam Principis non esse Sacerdotalem & Pontificalem, sed Imperatoriam, qua Sacerdotes regat, ut suum officium faciant quæq[ue] externam disciplinam in Ecclesia tuatur.* Ita nempe Princeps, qua Princeps, non potest exercere Jus Clavium, prædicare verbum & administrare Sacra[m]enta; bene tamen constituere Ecclesiæ ministros, curam gerere Doctorum & Doctrinæ; condere leges Ecclesiasticas &c. Quò sine dubio respexit in Electione Caroli Hispaniarum Regis Elector Trevirensis inter alia pro Germaniæ salute hujusmodi Imperatorem exoptans, qui constituere possit & emendare Ecclesiæ statum; quod idem Moguntinum quoque admonuisse legimus apud Sabinum in *bist. de elett. & cor. Carol. V.*

§. 2. Hoc igitur suo munere recte ut fungatur sumamus Imperans, at-

tendere etiam debet ad scripta, tanquam ad arma, quibus purior Religionis Veritas nefariè nunc oppugnatur, nunc masculine defenditur. Nam & hic valet Vetus Philosophorum Canon: **Qui vult finem, velit & media ad finem ducentia**; ut adeò qui religionem puram velit, eum oporteat pura etiam velle scripta religionem concorrentia. Id quod antiquis olim temporibus rectè observabant Imperatores Constantinopolitani, qui libros suspectos ad Episcopos, ad Synodos, ad Concilia mittebant, datam ibi sententiam audiebant, si bonam deprehenderent, approbabant; sin ex iniquo profectam animo inventirent rejiciebant, & ad alias Doctorum congregations deferebant. Sicut de hoc utramq; paginam facit historia Constantini in professionem Arii eādem ferè methodō inquirentis. *v. bīst. tripart. L. 3. c. 6. § 7.*

§. 3. Est autem Officium hoc actio secundum æquitatis & prudentiae politicae regulas circa libros religionem spectantes noīnotheticē occupata, ad qvam reipublicæ suæ præstandam Summus Imperans vel ipsa Lege naturæ obligatur. *Actionem* voco manuductore usus Excellentissimo Rechenbergio, qui *Lineam. Phil. Civ. c. XI. §. 2.* officium in genere, *actionem hominis ad cuius præstationem in virtute sociali lege aliquā obligamur*, stylo Ciceronis appellari posse existimat. Et mente sane meā non asseqvor, cur non dici queat actio, cùm actio omnino requiratur, ut disponat & actu occupetur Imperans in libris aut promovendis & juvandis, aut prohibendis & rejiciendis, aut interdum abolendis, & in Autore puniendis. Ubi tamen & hoc observandum, eum jam non circa omnes in genere libros, sed circa illós tantum versari, qui religionem spectant; nec pro lubitu cum his agere, sed *secundum æquitatis & prudentiae politicae regulas* debere procedere, ita ut nihil aggrediatur, nisi quod æquum sentiat, & optimis rationibus conveniens. Hoc enim modo, quam intendit, obtinere tandem poterit *innocuitatem & salutem sua Reipublicæ, obligatus* eidem ad *bujus officii præstationem vel ipsa naturæ legē*. Sive enim Socialitatem, sive aliud Juris naturæ fundamentum, constituas semper hoc tibi munus pro ratione hodierni status occurret; dum ad ista pertinet officia, quæ cum rationali & sociali hominis natura ita congruunt, ut humano generi honesta & tranquilla societas circa illa constare nequeat.

§. 4. *Originē suas non insanx τολυπαγωσύνη aut ambitioni Imperantium, sed ipsi DEO Ter Opt. Max. debet, qui tanquam Ens opti-*



optimum omnis etiam boni Autore est, uniuersam Naturæ legem hominum cordibus inscrisit; Summis Potestatibus Majestatem, & cum Majestate officium Ecclesiasticum (ut vocant) atque ita & illud assignavit, de quo in præsenti verba facimus. Quanquam enim alii configurerent hinc fortasse ad Reges Israeliticos, vel exempla Veterum Imperatorum, atque ex illis deducere laborarent, Deum hujus officii Autorem esse; iste tamen modus & generali Politicæ non admodum consentaneus, & non parum in utramq; partem insufficiens mihi videtur. Quid enim ad Israélitas, nullum per uniuersam S. Scripturam expressum invenitur dictum, quo cura hæc librorum ad illos devolvatur, jubentur quidem S. legem diligentie lectione versare, sed judicare simul de scriptis expressè non permittitur. Quid, suspicor, ideo factum, quia ipse Deus supremum sibi servaverat imperium, idq; non eo tantum obtinebat sensu, quo Rex Regum est & Dominus Dominantium, sed & illo plerumq; quo v. g. Augustissimus Imperator Leopoldus Rex Bohemiae, aut Potentissimus Elector Saxoniae hujus Principatus Princeps nuncupantur. Quid vero exempla Regum tum illorum, tum Imperatorum Veterum concernit, nihil ostendunt aliud, quam munus hoc jam olim viguisse & nemine improbante à Summis Imperantibus administratum esse, à quo autem ortum trahat suum, evincere non poterunt; nisi forte monitore Plauto usus; si ne scias viam ad mare, quæras hic amnem comitem tibi.

S. 5. Neque vero unicuique Magistratui, sed Summis tantum Imperantibus competit hoc officium, qui vel ipsa Majestatis iura vel æmulam saltem Majestati potestatem habent, & sic imprimendi vendendiq; veniam soli dare aut eandem adimere possunt, cum magna pars quietis reipublicæ in ea re sit posita. Sicut enim Cives bene meritos premiis afficeret, fontes vero aut prorsus è medio tollere, aut extra ditionis terminos proscribere, ne alias exemplo aut perversis suggestionibus corrumpant, unicè ad Principem pertinet; ita nec aliam conditionem librorum esse oportet, quia iis aut pietatis & virtutum, aut vitiorum & pravarum opinionum semina hominum animis instillantur. Licet autem passim ac ubique fere minores potestates librorum examinandorum jus exerceant, id tamen non suo peragunt ausu, sed Supremi Imperantis mandato, sub cuius etiam nomine sententia plerumq; concipitur. Ubiq; igitur Monarchica Reipublica forma est, ibi soli Regi aut summo Capiti quicquid id est muneric incumbit; ubi Aristocracia obtinet, ibi ad optimates & Senatores legum ac patrii moris peritos spectat; ubi deniq; summa rerum penes populum est, ibi ad ipsum quoque populum.

restringitur. Nemo h̄c miretur nostris Principib⁹ liberisq; Germania⁹ Statibus partes istas concedi. Sive enim mixtam ē Moharchiā & Aristocratiā Imperii formam, cum Limnæo J. P. L. i. c. 10. statuas, sive cum Monzambano prorsus irregularē appellites, non multum à vero aberrabis. Superioritas enim territorialis Majestati æmula tribuit Statibus, qvod apud alios summo Capiti Majestas reservat.

§ 6. Libri circa qvos hoc versatur officium religionem spectant, atq; aut principium ejus normativum constituunt, aut ex tali principio normativo hauriuntur. Illi variant pro diversitate religionum. Sic nempe apud Christianos scripta Prophetica & Apostolica, apud Gentiles Oracula, apud Judæos libri solius Veteris Testamenti in alienum pessimè detorti sensum, apud Mahumedanos Alcoranus &c. in pretio ponuntur. Hi vel publicā, ut Christianorum symbola, vel privatā autoritate sunt consignati, ut Patrum scripta & recentiorum apud nos Theologorum; apud Judæos Rabbinorum, apud Gentiles Numæ &c. Omnes autem isti libri meā sententiā vel utiles sunt, vel inutiles, vel noxii. Aut enim veram religionem tractant, aut falsam; tercia non datur: si veram, aut ita sunt adornati, ut aliquod præstent commodum, aut sic ut nullum; inde utiles & inutiles: si falsam, necesse est, ut dānum dare possint, & hinc noxii.

§ 7. Utiles itaq; illos voco, qvi veram religionem tradunt, & reipublicā salutem promovent. Atq; inter hos primum meritō locum sibi vendicant Libri Prophetici & Apostolici, ipsissimum Dei verbum, literis comprehensum & in Sacrum Codicem relatum. Non agrē id ferant Judæi, Mahumedani, aut Gentiles, cūm ipsa Veritas sic loqui jubeat, & divinitatem istorum librorum evincant non tantum tot cruentā multarum myriadum suffragia, nec, qvod inter tot Antiochi Epiphanis, Diocletiani, Maximiani, &c. machinationes salvi manserint & superstites, sed & tūm ingens miraculorum celebritas, qvibus sermonibus fidem fecere horum oraculorum præcones; tūm singularis materiae & amanuensium antiquitas, tūm sermonis character, qvi Deum loquenter non dedebeat, tūm harmonia immutabile principium arguens, tūm deniq; incredibilis vaticiniorum profunditas, eventusq; certitudo firmissima. Unde agnoscimus & manibus penē palpamus clarissima Divinitatis vestigia, qvibus etiam permoti amplius non dubitare possum⁹, qvin scripta ab hoc principio legitime deducta bona sint atq; utilia.

§ 8. Qvale ergo merentur encomium Oecumenica fidei Christianæ

stianæ Symbola, orthodoxæ etiam particularium Ecclesiæ Confessiones, Patres itidem & aliorum candidorum. Theologorum opera. Licet enim Symbola parem cum Scripturâ S. autoritatem non obtineant; & Patres variis (aut proprio errore, aut hæreticorū abominabili impietate inductis) obnoxii nævis sint, tamen, cum illa sint breves & maximè piæ atq; in verbo Dei solidè fundatæ Confessiones, hi verð (speciatim scilicet ac propriè Patrū nomine dicti) Christianæ religionis certitudinē magno consensu firment, interpretatiōnes eruditissimas tradant, hærese w confutationem, optimumq; rerū ac sententiarū delectū suppeditent; magni merito semper æstimari debent.

v.B. Gerhardus in Conf. Cathol. Part. 2. c. 12. p. 550. Sicut & tandem quæ ab aliis Viris sinceritate, eruditione ac judicii gravitate conspicuis, aut ante nostra tempora, aut hoc ipso ævo publicata cernuntur opera. Sive enim proveniant à toto qvodā Collegio, sive ab uno aut altero insigni Doctore, & tunc aut exponant salvificam veritatē, aut ab Adversariorum strophis liberent, aut Commentarium in Libros biblios adornent, aut in historiâ Ecclesiastica desudent, multum ad servandam religionis puritatem conferunt.

§. 9. Seqvuntur nunc Libri inutiles, qvì Autorem natūri innoxium, sed & simul tām necessariā peritiā & eruditione, qvām bibliotheca & industria, materiā etiam & causā scribendi destitūtum, non oppugnant qvidē religionem aut labefactant, sed ideo tamen reprehendendi sunt, quod nec usum habeant, nec fructum, cùm vel ea trahant, qvæ in aliis melius & exquisitius tradita inveniuntur, vel de lanâ caprinâ, tanquam de rebus patriæ ipsissimam salutem attinentibus declamatent. Conquestus est de istiusmodi scriptis suo jamjam tempore acutissimus Danhawerus in præfatione ad Hodosophiam. Ego vero facile diffunderer in exempla, nisi odiosum id esset & ipsa chartæ angustia cohibere stylum jubeat.

§. 10. Quod igitur ad noxios deniq; attinet, adversantur illi veræ religioni, impedimenta ponunt & obstacula, falsamq; juvant ac introducunt. Distinguuntur à B. Gerardo in L. T. T. VI. p. 312. in Magicos, famosos, notoriè blasphemos, & variis erroribus confpersos. Magici (nam & hi veræ religioni noxi deprehenduntur, vel inde qvod objectum religionis DEUM sanctissimum derelinquant & cultum eidem debitum Satanæ turpiter destinant) alias vocantur curiosi Græcis οὐεῖοι, & in templis Gentilium reponebantur, ut haberet Impostor Spiritus, qvod opponeret S. Libris in templo DEI, & arcâ fœderali asservatis. Horumq;

Copia



copia nec hodiernum Seductos deficit homines, sed ut Confessiones à Veneficis sæpe exortæ variaq; exempla tristissima docent, passim reperiuntur.

§. 11. Libri famosi sunt, qui non argumentis sed calumniis pugnant, stylo Satyrico religionem traducunt, variiq; errores ac delicti, injuste & contra conscientiam, ex maligno & hostili animo accusant, expressō interdum, interdum suppressō Autoris nomine. Felix talium artifex *Lucianus* olim fuit & alii quam plurimi, quin & nostra ætas novit non paucos Scriptores in hoc genere excellentissimos, quorum partim Apologia pupillæ Evangelicæ, partim alia historica Monumenta meminere.

§. 12. Notorie blasphemios dico, qui directè in Deum contumeliosi, scandali pleni & utilitati privatæ publicæq; adversi reperiuntur. Quales sunt, qui Atheismum, Gentilismum, Judaismum, Mahomedismum, &c. formant. Qui enim *Atheismum*, omnem è mundo religionem tollere, ipsumq; Deum negare volunt, absurdè contendendo Principum industria hujuscemodi superstitionem in legum subsidium inductam, ut mortales, quibus præceps ad noxia impetus, si aut ratione, aut reorum certissimis pœnis ad rectam vivendi normam cogi non possent, saltem Numinis timore coercentur. v. P. Firmianus in *Saculi Genio* p. 165. Qui *Gentilismum*, abyssum inferunt tenebrarum & seductionis Diabolicæ, uti patet ex iis, quorum mentionem injiciunt historiarum Veteris Ecclesiæ scriptores, quorumq; numerum D. Gerh. Meiero (in *dissert. de relig. ejusq; Differentiis* §. 51.) non obscurè supplere videtur celebris ille Machiavellus in superstitionis paganæ, quæ Romæ olim obtinuit, laudem plurima differens. Quod tamen judicium suo relinquimus loco; addat pro lubitu, aut demat quisq; fidem. Qui porrò *Judaismum* docent, ab antiqua & meliore illâ methodo Veterum Israelitarum longè sunt aversi, repudiant Novū Testamentum, pervertunt dicta veteris, negant SS. Trinitatem nugasq; Talmudicas superstitiones amant. Huc pertinet quos congesit & eleganti opere refutavit Wagenseilius in *tela ignea Satanae & Iudaorum contra Christum*. Qui *Mahomedismum*, ut Alcomnus, variis abundant superstitionibus & fabulis, Christiano-hæretica & Judaica mixtura in unum chaos reductis. Et eadem aliorum quoque ratio.

§. 13. Inter illos vero qui multis qvidem erroribus conspersi notorie tamen blasphemii nō sunt, agmen ducunt Decreta Pontificū Romanorum, de quibus vid. B. Luth. T. I. Oper. Altenb. p. 506. Addunt se Symbola Pontificiorum, Reformatorum, aliorumq; orthodoxiam

doxiā oppugnantium, qualia sūnt Tridentinum, Dordracenum
&c. quorum errores sufficienter exhibent & notant B. Chemnitius in exa-
mine Concil. Trit. B. Hunnius in Διάνοια. B. Menzerus in Triad. Di-
spul. An. 1621. Gieffae editarum, aliisq; Patres etiam huic se se miscent or-
dini, Scholaſtici nimirum quorum certe scripta eruditione sua minus
Ecclesiæ profuere, quam obſuere, cūm Athenis Hierosolymas impli-
care imo mergere non dubitārunt & utriusq; urbis dogmata, adeo con-
fundant, ut nescias magisne Christum sequantur an Philosophum. Clau-
dunt ultimō classem recentiorum Scriptorum libri, qui variis im-
pingunt in fidem erroribus, sive proveniant à Consensu quodam Theolo-
gorum talium, sive ab uno aut altero Viro, eoque vel docto vel indocto.
Horum autem alii falsam opinionem proponunt, aut defendunt; alii ve-
ram simul oppugnant & seducere homines omni vi conantur. Exempla
suppediat nostra & superior ætas quot nec integrum volumen caperet &
de quibus, si percensere sigillatim debeam, merito cum Nasone dicam:

Designet ante dies & in alto Phœbus anhelos,

Gurgite condet aquas, quam consequat omnia dictis.

§. 14. Quomodo nunc circa hæc librorum genera occupatus esse
debeat Summus Imperans, ut secundum æquitatis & Conscientiæ
regulas procedat, paucis videbimus. Existimatnus autem ante omnia,
non pro utilibus & bonis statim habendos esse qui tales vi-
dentur. Latet ſæpe sub pulchrâ facie, deformis animis; ſub eleganti-
bus plumis, rancâ avis; ſub candido tegmine niger Æthiops, quid inde
mirum, ſi libris etiam accidat tritum illud, ut videantur, & non ſint? Dedit
hæc olim contagio labem, & dare, ni Deus avertat, & laboranti Eccle-
ſiæ ſuæ ſuccurrat, adhuc potest. Ariti scripta ſesamo & papavere ſparsa
prodibant in vulgus elucebat ex iis singularis pietas, modetiâ, decor; ſed
proh, quantus nimium latebat anguis in herba! non aliter cœterā etiam
hæreticorum scripta foris agnina objiciunt pellem legentibus, intus au-
tem lupum alunt. Quare ſedulò cavere Magistratus debet, ne fraudibus
iſtis imponi ſibi patiatur.

§. 15. Atque ita nec vicissimi omnes pro inutilibus habeat,
aut noxiis, qui huic, aut illi inutiles, aut noxii videntur.
Nempe ad primum ſæpe intuitum non statim liquet, quid contineat liber,
cūm tamen ad diligenter inquisitionem præstantia ejus Sole meridi-
ano clarior affulgeat. Sic B. Lutheri scripta, cūm primâ ederentur vice,
tam exosa erant, ut vix ulla gens, ulla Europæ natio, ulius repetiretur po-

pusus, qui non frequens fuerit multusque in refutandis iis & omnimodo
supprimendis. Sed ut attentius volvere & examinare Cordatores rem
cooperunt in aliam mentem, atque sententiam plurimi transierunt. Pro-
stat adhuc Confessio Ferdinandi augustissimæ memorizæ, i. quam edi-
dit in epistola ad Lutherum scripta, ubi inter alia sic habet, se quidem ex
Hispania advenam inimicum fuisse scriptis Lutheri, sed postquam nunc ac-
curatius perlegerit annotationes quasdam in Psalmos & à Confessionario
suo mortivicino monitus sit, ut relinquere devia & in rectum redire immi-
tem Luther duce festine, aliter de Luther scriptisq; ejus sentire, ea li-
benter tolerare, & aperte deprehendere, quam graviter delusus fuerit à
Pontifice. v. Oper. Luth. Est nimurum sœpe aliquis in religione Veteri abu-
sus, quem tollendum, quem proscribendum volunt. Homines sumus,
errare possumus. Nemo accuratissimorum etiam Doctorū de privilegio
omnimodæ perfectionis polliceri sibi potest. Esto igitur, damnent pluri-
mi scriptum aliquod, sint modores, quæ diligentiores attentionem re-
quirunt, non temerè rejiciantur.

§. 16. Sed inquiratur prius accurate in ipsam ejus natu-
ram, an utile sit? an inutile? an noxium? Ipse hic Imperans manum
admoveat, neq; enim de rebus nullius pretii, sed de religione controver-
titur, de basi & fundamento Reipublicæ. In scientiis quidem rebusq; aliis,
in medicinâ, mercaturâ &c. non excusabilis tantum sed sœpe laudanda
est Principis ignorantia ob majores melioresq; occupationes, at cognitio-
nem seryandæ itaq; tranquillitatis negligere, illi non licet, cùm nihil
sit præstantius, nihil ad incolumitatem Reipublicæ momenti majoris, &
in quo periculosius erretur. Cùm verò summus etiam & divinus planè
Principum animus tantæ molis capax esse non possit, ut omnia scientiâ
suâ complectatur, optimè sibi consulet; si sapiat sapientum quoque
commercio, & assumat in partem curarum alios Viros pietate, judi-
cio, autoritate atq; eruditione conspicuos: Si ad Inspectores li-
broruin juramento aut simili obligatione ad hanc curam obstrictos, ad
sacra Collegia, ad Confistoria, ad Academias id operis remittat,
quin & si visum fuerit & necessitas exigat Synodos cogat, aut Concilia
Episcoporum, iisq; scripta piè ventilanda proponat, ita tamen, ut
in illorum sententiâ & decisione non statim acquiescat. Nisi
enim ipsa Veritas me fallit pro vero affirmaverim sœpe etiam Concilia er-
rasse & non illud de scriptis produxisse testimonium, quod æquum fue-
rit, quemadmodum de Tridentino & aliis res ipsa loquitur.

§. 17. Ut



§. 17. Ut verò & huic malo mederi queat, sollicitus sit Imperans de ipso veri DEI verbo, tanquam de certâ normâ & regulâ, quam, ad Constantini illius M. exemplum, in medio Episcoporum ponere, & Judicem Controversiarum stacuere possit. Cùm enim Deum quidem ex naturâ agnoscat, sentiat etiam eum colendum esse & honorandum, quomodo autem id fieri debeat, ignorat, ipse statim colligit, esse aliquod in mundo verbum revelatum, quod Ens suum mè bonum miseris & errantibus mortalibus dederit, ut voluntatem inde suam rectè agnoscant. Quocunq; autem hic se vertat nullib[us] melius quam apud Christianos hoc depositum S. Literis comprehensum reperiet. Rationes in superioribus sufficienter traditæ sunt. Normam igitur hanc ita inventam semper in animo gerat & pectore, nocturnâ diurnâq; verset manu, & cœu pupillam oculi sui custodiat. Quamvis enim ipsum supremum Nūmen singularem in conservandâ illâ providentiam ostendat; nihilominus tamen de officio summæ Potestatis est, suam quoq; curam addere, & eō allaborare, ut fontes probè descripti & nullis hæreticorum fraudibus depravati in bibliothecis & apud doctos, frequentes adsint; si reperiāntur exemplaria vel ab Arianis, vel aliis Satanae organis corrupta summâ industria maximoq; labore exquirantur & tollantur: versiones in vernaculâ lingvâ aut adornentur; aut præclarè & sobriè jamjam adornatæ & quo pretio emptori comparandæ prostent. Prolixam hic meretur laudem tertius ab Alexandro M. Ægypti Rex Ptolomæus Philadelphus magnificientiæ laude celeberrimus, qui nullis parebat sumptibus, usq; dum ab Eleasaro Judæorum summo Pontifice sacros Veteris Testamenti libros eorumq; Interpretes impetraret & ad umbilicum sic perduceret Græcam Hebræi Codicis versionem. Cujus laboris historiam eleganter enarrat Apparatus Biblicus Walthoni p. 310. seq. Apud nos haud minori penè gloria dignos se reddidere Potentissimi Electores & Serenissimi Duces Saxoniæ, orthodoxæ fidei semper addictissimi; nec non Sveciæ Daniæq; Reges &c. quorum benignitas & effusa in S. Literas munificentia de omni interitu securè triumphant. Fulgeant singulis modò Imperantibus hæc sacræ pietatis documenta, eosq; parili inflammat ardore. Ita enim facilis observatu erit ratio illius officii, quod circa coeteros spectantes religionē libros versatur.

§. 18. Quando enimq; scriptum aliquod sub censum venit quod secundum Canonem verbi divini legitimè est constructū, sic, ut nec intempestivâ Autoris iracundiâ aut ambitione noxiū, nec e-

jusdem turpi ignorantia aut tædiosâ obscuritate inutile reddatur, utilibus annumerandum, juvandumq; est & promovendum. Magnum enim secum commodum magnamq; trahit utilitatem. Nimis si nullis literarum monumentis saniorum verborum forma custodiatur, & tanquam sigillo quodam confirmetur utiq: maximæ excitari turbæ queant maximæq; Confusiones. Variæ disseminabantur Idololatriæ ante legem per Mosen datam. Cerinthiana & Ebionitarum hæresis latè serpebat ante conscriptum Evangelium S. Johannis. Ante decreta Synodi Nicenæ Arianorum furor multorum aures animosq; sibi devinciebat. Crypto Calvinistæ totam penè Saxoniam occupabant ante consignatam piæ Concordiæ Formulam. Non in ea enim incidimus tempora, ubi per Patriarchas oretenus tradi verbum Dei poterat; multiplicati sunt homines, multiplicati errores. Quod si igitur scripta inventantur verum Dei cultum pie respicientia tantum abest, ut barbarico more suppressa, ut potius juyanda sint tam sumptibus quam commendatione ac privilegiis & omni, quo fieri potest modo, promovenda.

§. 19. Qamobrem etiam sincera orthodoxorum Confessuum Symbola vindicanda ab interitu, à corruptelis adversariorum, à diffamatione & vilipendio. Illustri præiverunt hīc exemplo omnibus terrarum Dominis Saxoniz Electores Potentissimi. Confessionem Augustanam procurabant & Augustissimo Cæsari exhibebant, Johannes & Johannes Fridericus: Mauritius pace Passaviensi firmabat: Augustus à Philippo Melanchthonne mutatam ex originali Munguntino integritati suæ restituebat, & Formulâ Concordiæ contra Calvinianorum fraudes muniebat: quam postea Formulam ipse approbavit Christianus I, constanter insistens gloriosissimis Majorum vestigiis necannuens preclibus quorundam, qui sublatam illam volebant è medio. p. Conc. Conc. Hutt. p. 1234. Christianus II. singulari mandato typis eam vulgari jubebat. Johannes Georgius I. libro, quem apologiam pupillæ vocant, cruentas Jesuitarum contra Augustanam Confessionem machinationes reprimebat. Qualis quantaq; fuerit subsequentium Electorum in hoc opere cura testatur Juramentum obligatorium ab iis, contra temeraria quorundam monita, nec sublatum, nec immutatum. Capiat hinc sibi suaq; Republicæ, quod imiteatur Imperans certoq; sibi persuadeat, hunc esse tramitem, qui ad veram ducat concordiam; hanc esse artem, qvâ ab Adversariis orthodoxi optimè dignoscantur.

§. 20. Si-



§. 20. Similiter pia probataq; Patrum scripta ab heterodoxis in partes rapta & miserè corrupta ex antiquissimis manuscriptis restituantur & restituta publicentur. Nec enim vera laus est, quam sibi tribuunt Editores Augustini Venetiis excusi, dum in præfatione fatentur, se removisse omnia illa, quæ fidelium (Papistarum) mentes hereticā pravitate possent inficere, aut à Catholicā orthodoxā viā abducere. Nec probare queo, quod de Monachis è Kimmedoncio allegat Heideggerus in Anatome Concil. Trid. p. 650. referens: Eos in bibliothecis suis audacter admodum falsarias inferre manus Scriptoribus Ecclesiasticis, integras sententias & paginas totas oblitemare, imò integris ternionibus & libris excessis Autores castigare. Èa videlicet methodō corruptitur non emendatur, perditur non restituitur liber. Cœterum immortale sibi nomen perpetuis Magnus Galliae Rex Ludovicus XIV. qui bibliothecam Patrum Regiis edi sumtibus, & elegantissimis describi curavit literis. Dignum opus quod amplis laudibus & in hoste totus orbis deprecet, Literatiq; omnes piis venerentur gratiis.

§. 21. Nobiliora deniq; Theologorum recentiorum scripta, ut nunquam deficiant posteritatem aut mendis scateant curanda. Si desinx qui suppeditare impensas velint, ipse Princeps succurrat, si non reliqua sint exemplaria, protrahat è bibliothecis Autorem, & seculo reddat, sic cùm ederentur Altenburgi B. Lutheri scripta magnis promovebat labore sumptibus Sereniss. Saxoniæ Dux Fridericus Wilhelmus, erigebat peculiares ædes, iis qui operam præstabant, novosq; comparabat typos, ut omnia eleganter & præclare prodirent, v. Præf. ad T. I. Op. Luth. Altenb. Aliás deplorandum & miserabile fatum est, optimos jam exprimere libros; non inveniri apud bibliopolas egregia B. Hunnii, Veterum Marpurgensium, Giessensium &c. opera, quorum tamen plana & perspicua simplicitas pluris æstimanda, quàm aliorum obscura Curiositas. De Brentio & aliis Viris celeberrimis nihil penè superest, aut si aliquid hinc inde sese offerat, caritas raritatem sequitur. Possent igitur fungi suò hīc Imperantes munere & libris laborantibus ac in agone constitutis promptā subvenire manu.

§. 22. Quando verò occurruunt Libri Sacrae quidem normæ non contrarii, sed ita tamen comparati, ut absq; omni danno carere iis possimus, optimum fore existimaverim, si in ipso statim limine reprimantur. Quod fieri posset, si Typographis non quoslibet, sed eos tantùm liceat imprimere, qui ad Dei gloriam veritatis propagationem, & communem utilitatem pertinent, neque tamen & illos sine Inspectoris vel Decani in Academis

Censurā & approbatione. Evidēt novum hic surgit negotium, quando attendere Imperantem oportet, ne Censorib[us] librorum *Patrum Domini- canorum* legant vestigia, & tanquam inutiles supprimant, quos paulo post paucis immutatis sub propriō edant nomine, tantūm ideo ut viris doctis suum exornent ordinem. Hoc enim nihil nisi contentiones & jurgia parit. Sed si Juramento obstricti Inspectores maneant in terminis, & justè agant, magnam Reipublicæ utilitatem afferent, si publicari non permittant, quos inutiles revera deprehēdunt. Ita enim & bibliopola sumptus, quos eō destinārat aliis utilioribus impendet; ita & emptor sāpe non satis cātus non poterit adigi, ut, quod subinde accidit, inutiles apprehendat p̄ utilib[us].

§. 33. Quomodo deniq[ue] cum noxiis qui sub manus veniunt libris procedendum sit jam inquiremus, ita tamen, ut prius aliorum consuetudines enarrēmus, & deinde nostram subjiciamus sententiam. *Apud Romanos itaq[ue], Eivio teste, saepe hoc officium est Magistratibus datum, ut vaticinos, si qui in vulgus prospēserint libros conquirerent comburerent.* Nimirum, cœu *Valerius Maximus L.I. c. i. prædicat, noluerunt prisci viri quicquam in civitate Romana aſſervari, quo animi hominum à Deorum cultu avocarentur.* Quare etiam *L. Petilius, Prætor Urbanus ex autoritate Senatus per victimarios igne facto in conspectu populi cremavit Græcos quosdam.* *Numæ libros in agro L. Petillii scribæ inventos: & Octavius Augustus, memorante Svetonio quicquid fatidicorum librorum Græci Latinis generis, nullis vel parum idoneis Autoribus vulgo ferebatur supra duo millia undique contracta combustis & solos retinuit Sibyllinos hos quoq[ue] delectu habito.* *Apud Iudaos nefas haberur eripere flammis scripta Christianorum quin R. Tarphon expresse ait: Sepelire ego cogar nationes meos, nisi scubi in manus meas incident libri Christianorum eos cremavero, unā cum divinis que ibi habentur nominibus.* *Apud Christianos Ephesi prædicante Paulo multi qui tractaverant suos combusserunt libros, Arii scripta igni adjudicavit.* *CONSTANTINUS M. cuius edictum v. apud Nizeph. c. 25. L. 8. Nestorii Thibodios & VALENTINIANUS. Euycbetis & Apollinaris, VALENTINIANUS & MARTIANUS. Severi, JUSTINIANUS &c. GREGORIUS IX. An. C. 1130. sicut & INNOCENTIUS IV. An. 1244. & JULIUS II. An. 1553. Pontifices Judeorum Libros & in primis omnia Talmudica volumina flammis addixerunt.* Saracenorum *Alcoranus* Toleti comburebatur à XIMENIO Archiepiscopo, ut de eo testatur Alvarus Gomesius in vita ejus. Reliquæ Pontificiorum Consilia circa libros Adversariorum demonstrant Indices expurgatorii & Bulla quæ quotannis Romæ in die viridium à Pontifice promulgatur. Quomodo autem Reformati soleant excipere, quæ dispergunt, scripta, è plurimis & notissimis exemplis sat opinor manife-

§. 24. Ve-



24

§. 24. Verum enim vero haec omnia nondum adducere nos poterunt, ut statuamus omnes indistinctim libros, qui noxi videntur, comburendos, aut alio modo abolendos esse. Quod enim ad Romanos attinet, recte & ex civilis prudentiae norma fecere, quod Numa scripta, quae juxta Lactantium L. I. Inst. c. 22. Religiones non eas modo quas ipse instituit, sed omnes præterea dissoluebant; fatidica autem ideo quoniam curiosos & quietis impatientes homines ad res novas moliendas facile instigare peterant, omni studio antequam vulgarentur suppresserunt. Turbata enim religione rem publicam quoq; eorum turbari necessum erat. IUDÆOS autem quod concernit, neminem hi confundant, cum vana superstitione vel ad alias absurditates eos adigat. Sed de CHRISTIANIS demum notari velim, in Ecclesia veteri martyrum persecutionibus adhuc exercita viris tantum piis religionem fuisse impios libros legere, nullam vero tum extitisse formalem prohibitionem. (v. Heidegg.) Interjecto autem tempore Imperatores (quædam etiam Concilia) decreta aliqua edidisse, sed tamen hunc maximè ob finem, ut odium suum erga falsa & impia dogmata publicè testarentur & à lectione talium eos, qui tenuiorum in Clero erant profectuum & imperitum vulgus, minimè gentium vero illos qui solidioris inter Antistites sacros doctrinæ erant, arcerent. Hanc enim priscis mentem fuisse liquidò comprobat Concilium Cartaginense IV. cuj cap. 16. quod in distinctionem 37. retulit Gratianus sic concipitur: Episcopi Gentilium libros non legantur, hereticorum autem pro necessitate aut tempore. Quid? quod & cogerentur interdum Imperatores quasdam prohibitionū formulas promulgare, cum pestifera hereticorum dogmata, eō exciperentur applausu, ut miraretur mundus sed parvo temporis spatio hereticum esse factum, metueretque turbas & seditiones seductorum. Ast legisse alias, nomine vetante, præstantes in Ecclesiâ viros hereticorum scripta, tot pene libri demonstrant, quot ad sc̄ros remisere posteros. Quibus etiam propriæ Confessiones accedunt & ingenuæ hujus libertatis assertiones. Sic enim DIONYSIUS ALEXANDRINUS apud Eusebium L. 7. hist Eccl. c. 7. hunc in modum ad Philemonem scribens introducit. Οργανα δε πεμπτον ωροσελζον επερρωσι
με· καὶ λόγον, τοές με γνώμην τοντοσέλαξε Ναρρίδην λέγων. πάσιν ἐνίγκαται
νε οἷς ἀντί εἰς χεῖρας λάθοις διδύνειν γε ἐκατονταρχαῖς ικανὸς εἰ. &c. &c. S. AMEROSIUS in Jure Canonico dist. 37. ait: Legimus aliqua, ne negligentur, legimus, ne ignoremus; legimus, non ut teneamus, sed ut repudiemus. Neq; vero legere tantum Hæreticorum scripta, sed & opiniones illorum manifestare, librorumq; ab iis compositorum sive fragmenta, sive compendia, sive integrum contextum, additis tamen plerumq; confutationibus, publicè edere, imo & blasphemias impiorum recitare, permissum fuit. Id quod videre est in Dialogis, in quibus orthodoxi cum Hæreticis colloquentes & mutuis pugnantes argumentis exhibentur, (vid. Augustinus in lib. de hereticis. Hieron. adv. Pelag. &c.) Nempe illud sine dubio S. Patres præcavere volebant, ne alienas sententias adversariis affinxisse, aut eas pro lubitu detorsisse suspicio oriretur.

§. 15. Cir-



§. 25. Circa bullias autem & mandata Pontificum Romanorum, quibus scripta interdum cremari jubentur, quæ tamen, ante quam innotesceret Autor, magni aestimata fuerunt, non tam illud spectandum, quod fiat, quam quid fieri debeat? sic legitur in excerptis, Scaligeri nomen quæ præferunt p. 297. *Philippi Melanchthonis Locos Theologicos Venetiis excusos Romam magno cum applausu per integrum annum, emitos lectosq; fuisse*, tandem autem cum agnosceret Franciscanus quidam Monachus per Dominum Philippum à Terra Nigrâ, sub cuius nomine prodierant, ipsum Philippum Melanchthonem indigitari, protinus exemplaria suppressa & combusta, typographum vero gravi penè censurâ vexatum esse. Ita nimirum valet adhuc illud Poëta: -- Non si quid turbida Roma

Elevet, accedas, examenve improbum in illâ
Castiges trutinâ.

Quæ regula tenenda quoq; est circa processum Reformatorum, quem olim jam taxavit B. Nicolaus Hunnius in prefatione ad *Διάσκεψιν theologicā de fundamentali dissensu doctrinæ Evangelicæ Lutheranæ & Calvinianæ sive Reformatæ.*

§. 26. Nos hisce missis, ut nostram nunc etiam addamus sententiam, statuimus omnes libros Magicos sedulò exquirendos & comburendos, quin & si fieri possit in Autorem ipsum animadvertendum esse. (Nullam hæc regula exceptionem admittit; asservati enim in bibliothecis quid damni curiosè lustrantibus lape intulerint, patet.) Abolendos itidem libros famosos, ut & notoriè blasphemos, si nimirum ipsum *ἀυτόγεω* in manus veniat, antequam typis describatur & in vulgus emanet, in primis vel in potestate redacto, vel demortuo, vel ad sanam reverso mentem, Autore. Ita enim nec vola nec vestigium dementiæ relinquitur. Ast si disseminata jam sint exemplaria frustra combustione obstabit Imperans, cùm eâ ratione omnium curiositas ad lectionem magis inciteretur. Ideoq; potius curabit, ut eximantur mentibus scrupuli, ut refutentur impura dogma, ostendatur impietas, abstergantur impacti errores & tunc moneantur bibliopolæ & populus ut abstineant ab iis, quorum doctrina tam blasphema in Deum, tam iniqua in veritatem inventa sit. Nam si quis furioso (ait Seneca Ep. 94.) præcepta det, quomodo loqui debet, quomodo procedere, quomodo in publico se gerere, quomodo in privato, erit ipso, quem monerit insanior. Bils nigra curanda est, & ipsa furoris causa removenda. Idem in hoc animi furore faciendum est, ipse discuti debet, alioquin abiibunt in Vanum monentium prohibentium, verba. Pari ratione etiam procedendum est cum scriptis variis erroribus confusis, quæ tolerari possunt, si major pars sit bona, si error notus & à Viris insignibus solidè jamjam refutatus, prohibiri verò debent, si dogma, quod contra orthodxiā spargunt, sit novum, aut ex antiquo demotuo renatum, si major pars sit mala, si in vernacula prodierit lingvâ. Ita enim quid orthodxi de eo statuant omnibus patescet, rudiis plebecula non poterit statim corrumpi, Viri q; eruditi, ad quos interdictum restringi non debet, in ostendendis & rejiciendis sphalmatibus majorem adhibebunt diligentiam & libertatem.

§. 27. Deducenda hæc forent uberiori fusiusq; declaranda, sed, quo minus id jam fieri possit, leges obstant pluribus includi rem pagellis severè prohibentes. Itcunq; tamen fuerit existimo paucula hæc regia in nō parum ostendere semitam, quæ suū misadeunda sit Imperantibus, si (quoad per scripta potest) pura servari religio, publica obtineri salus, atq; sic procurari debeat iste hujus officii omnibus desideriis votisq; comprecandus FINIS.

S. D. G.

A & Q.
HÆc ergo tandem pulchriora tempora
Mundi senectus protulit,
Erroribus quæ cuncta turbant maximis,
Et veritatem suppressunt?
Vix mensis, ah! vix una transit hebdomas,
Quæ scripta non trudat nova,
Novumqve trudat insimul delirium
Vanæqve mentis somnium,
Sed esto! Summus omnium Vindex DEUS
Ecclesiam tutabitur,
Illaqve cunctis eximens periculis
Servabit integrum sibi.
Hic interim quid Imperantem oporteat
Egisse, munere ut suo
Fungatur, id dum sustines ostendere,
GERKENI, Amice plurimum
Dilecte, sat monstrare jam videberis,
Illi addidisse eaculum
TE coetui, qui saniora diligit
Insana scripta proterens.

Hec in honorem
Clariss. & Praestantiss. DN. RESPONDENTIS,
Fautoris atque Amici sui estimatissimi
deprop.

M. Andreas Kunadus,
Præses.

CAROLUS HEINRICUS GERKENIUS,
Avayg. substit. c. loco k.
Currens hinc ageris velocius.
Cuncta movent Superi, Fatis nos ducimur omnes
Improbâ qui torpet desidiâ, trahitur;

C

Vivida

Vivida' sed sano cuicunque in pectore Mens est,
Ducitur haud graviter, sponte viamque terit.
Tu quoque, GERKENI! Ducentes late secutus,
Palladis, ut jussum, culmina sacra petis;
Blandior hinc ageris currens velocius ultro:
Ocius occurrant præmia digna tibi.

*Doctissimo Dno GERKENIO, Fautori suo æstu-
matisimo, ex Caibedra Academ. publice
Respondenti, paucula hac sincerioris affe-
ctus testandi ergo ponebat proper.calam.*

Joh. Heinr. Becker,
Esena-Friso.

Nescit in obscuro vitæ consumere cursum
Qui semel ex animo cœpit amare Deas,
Extent ni semper studii documenta probata
Doctis publicitüs, mœnibus & patriæ.
Hoc Tibi GERKENI curæ cordique fuisse
Ostendit cunctis egregium specimen;
Et cum primitias studii laus ampla sequatur;
Quæ quoſo meritis fama oritura TUIS?
Applundo ex animo. NUMEN tua cœpta secundet,
Ut tandem patrio LUMEN in orbe sies.

*Sic Pereximio Dn. Respondenti, AMICO
carissimo, gratulatur & studiorum
exoptatissimos successus precatur
Hinr - Clemens Dithmers,
Luneburg, SS. Theol. C.*

Quam vigil in studiis Doctorum castra sequendo,
Tu curâ Musas fervidiore colis;
Jam specimen præstas, Parnassi culmina scandens;
Hinc favet & Phœbus Pieridesque Tibi.

Gratu.



Gratulor ergo Tibi, GERKENI, dulcis Amice!
Utque feras studiis commoda digna precor.

Ita Amico suo de singulari eruditionis
meritumate gratulabatur

Johannes Holzapfel / Leucostomat.
Frisius, S. Theol. Studios.

Consequeris laudes Tibi quas Witeberga paravit
Præmia Virtutis, nominis atque decus.
Idcirco Clari calcas vestigia PATRIS,
Et Studiis propriam porrigit ipse manum.
Pervigil in Musis postquam noctesque diesque
Sudasti, Cathedræ nunc documenta probas.
Pugna gravis cunctis etenim subeunda videtur
Victricis palmas mens ubi docta petat.
Abditus est nodus, quem Docto Præside fretus
Ingenioque tuo solvere rite paras.
Gratulor idcirco toto tibi pectore FRATER
Te ducat constans Fama per ora Virum,
Atque DEUM veneror submissa voce potentem,
Sedulus ut Musis invigilare queas.

* * *

Als Lob so dir schon längst diß Wittenberg bereitet/
Die Eron so dir dein Fleiß zu geben stets bemüht/
Kömmt nunmehr über dich mit vielen Glück begleitet/
Und schmückt sehr schön dein Haupt/da noch die Jugend
blüht.

Diß ist der feste Schluß: Wer fleißig stets studieret/
Und dessen höchste Lust nichts denn die Bücher sind/
Der kriegt den Tugend Lohn/ und wird vom Glück ge-
führt
Auf dem Catheder Stuel/ da man dich jezo find.

Deß



Deswegen nim diß an/ so dir zum Lob bereitet/
Die Hand / so dir verwand. Diß soll der Wunsch nur
seyn :

Den Fleiß/den du stets liebst/ der dich auch ieho leitet
An vorerwehnten Orth/laß dir zur Seit allein
Als ein Gehülfen seyn. So wird dein Glück recht grünen/
Und Ruhm wird iederzeit zu deiner Seiten stehn/
Erschallen wird dein Lob bis an die Himmels Bühnen/
Des Vaters Gang wirstu zu seiner Zeit nach gehn.
Gesegnet sey denn nun dein stetiges Beginnen/
Dein Fleiß und Arbeit laß auch nicht vergeblich seyn/
Der Höchste so da kan der hohen Herz gewinnen/
Das Glück so dir vorsteht mit meinen Wunsch treffein.

*Sic Fratri suo Carissimo singulare hoc ex-
ruditionis specimen edenti applaudere
voluit*

Balthasar Christian Gerkenius,
SS. Theol. Stud.

Pulpita dum scandis DOCTORUM docta VIRORUM.

Eximum profers ingenii specimen ;
Hinc etiam surget, tandem TIBI GLORIA , FAMA,
GLORIA, FAMA, quibus scandis in astra poli,
Perge igitur, recto cœpisti tramite, GERKEN
Optime, sic studiis consulis ipse TUIS;
Sic & CUNCTIPOTENS addet pensare labores,
Et dare pro meritis digna brabea TIBI.

*Ita Eximio ac Doctissimo Dn. Respondenti,
Conterraneo nec non Contubernali suo
hoc manus atq; mentis sue pignus ad
amicitiae aram deponere voluit*

Anthon Dieterich Drost/
Phil. Cultor.

88(9) 90

Sch


ULB Halle
002 635 348

3



Farbkarte #13

B.I.G.



V.
60
1695 9
GIO PERANTUM LIBROS PECTANTES,
dt. Philosoph.
anni M. DC. XCV.
eucorea DN. HABIT. Ecclesiis
KUNADUS,
GERKENIO,
ol. Studios.
, Acad. Typ.